

2.k.370.17.

437

de memorabilibus anni & CVIII.
Seculorum transactorum



LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

D. IOHANNES FLORENS

R I V I N V S

COD. P. P.



LECTORI BENEGOLO
S R D
D IOHANNES FLORENS
RIVIANAS
COP R B



Si historiarum monumenta euoluimus et rerum memorabilium singulis annis gestarum, repetimus memoriam, non facile annus transactorum seculorum notatu dignior apparebit, eodem, qualis hoc ipso, fauente Diuini Numinis clementia ad finem properat, nempe quadrageximo octauo. Eo ipso anno Seculi decimi tertii Marchiones Misniae Palatinatum Saxoniae cum Landgraviatu Thuringiae obtinuerunt. Idem annus Seculi insequentis decimi quarti, sistit nobis Fridericum grauem, quem Scriptores Saxonici vt plurimum feuerum nominant, Landgrauium Thuringiae et Marchionem Misniae, cui imperii proceres post fata Ludouici V. Imperatoris, Caesaream dignitatem offerebant, qui tamen eandem modeste recusabat caesarque esse nolebat, relinquens solium imperatorium Carolo IV. Eodem anno seculi decimi quinti concordata nationis Germanicae cum fede apostolica super collatione beneficiorum ecclesiasticorum inter Nicolaum V. pontificem maximum et Fridericum Imperatorem consentientibus Electoribus inita,

A 2

et,

et, si parua magnis licet componere, eodem anno, Ioannes Princeps Anhaltinus comes Ascaniae, in alma nostra studiorum causa degens, ab ordine philosophico, primam lauream, quam baccalaureatum appellant, inaudito subsequentibus temporibus exemplo, accipere non est dignatus.

Maiore celebritate se commendat annus quadragesimus octauus seculi decimi sexti. Hoc decurrente celebrabat Carolus V. imperator Augustae Vindelicorum solennia comitia: in his pax profana stabilita: in his ordinatio Iudicij camerale reuisa, aucta, emendata, ut proximis comitiis itidem Augustae Vindelicorum concitis, promulgari potuerit. His comitiis Mauritius Elector Saxoniae splendifidissimo comitatui stipatus praefens interfuit et ab Imperatore die vigesimo quarto mensis Februarii, qui idem natalis Imperatori erat, inuestituram et regalia Electoratus, consuetis solennibus sub dio obtinuit. Iisdem adhuc durantibus comitiis, iussu Imperatoris scriptio quaedam ordinibus imperii oblata, qua quidem Imperator, ad exemplum Romani quondam Praetoris per modum decreti interim dicebat, quaenam forma et norma doctrinae ac ceremoniarum in causis religionem tangentibus usque ad decisionem generalis concilii ad tuendam concordiam obseruanda esset. Autores huius scriptionis, quae viginti sex articulis constat, erant triumviri, Iulius Pflugk Episcopus Numburgensis, Michael Sidonius suffraganeus Moguntiensis post Episcopos Martisburgensis et Iohannes Agricola Islebiensis, Electori Brandenburgico a concessionibus auxilis. Dici non potest quos motus hic libellus, Interim dictus, in ecclesiis et scholis excitauerit. Mauritius Elector conuocabat status prouinciales versus Misenam, Theologis

logis Lipsiensibus et Vitembergenibus in consilium vocatis, et cum status prouinciales rei tam periculi plenae se committere nollent, Elector eodem anno circa finem solennia comitia hic Lipsiae indicebat, ad eademque concelebranda Georgium Principem Anhaltinum, Episcopos Martisburgensem et Numburgensem inuitabat, horumque Comites esse volebat, Theologos Philippum Melanchtonem, Iohannem Camerarium, Iohannem Pfeffingerum, primum protestantium religionis apud Lipsienses Superintendentem ut et Professorem et decemuirum Academiae, Georgium Maiores, Danielem Gresserum et Antonium Lauterbachium. Hi in mitissimam circa adiaphora conspirabant sententiam, quam publici iuris faciebant; quibus strenue se opponebant Nicolaus Gallus Pastor Magdeburgensis et Mathias Flacius in ciuitate Albona natus indeque dilectus illyricus, quem fata Italia expulsum primum Tbingam postmodum a Garbitio Graecae linguae Professore Tbingensi Melanchtoni commendatum Vitebergam detulerant, vbi a Melanchtone benigne exceptus et in doctrinam receptus, licet, lite ista interimistica et adiaphoristica exorta, tamen partes ipsius deserebat et Magdeburgum se conferebat, scripto publico contra Theologos Lipsienses et Vitebergenes, communem causam agentes, insurgebat, et libellum eorum antea typis excusum, Interim Lipsiacum, eiusque autores adiaphoristas, interimistas, et pseudo Eusebios nominabat. Pfeffingerus contra Flacium audaciae et temeritatis in scriptis incusabat, et eius sectae addictos retorquendo Flacianos appellitabat. Prodiit isto tempore Ioachimicus famosus, qui repraesentat Saluatorem, cum monstro tricipite, faciebus humanis, pugnantem, idque ad inferos dimittentem, adiecto lemmate: **Packe dich Satan du** interim.

Deuenio ad annum quadragesimum octauum elapsi seculi, quod erat decimum septimum, qui Academiae nostrae auspicatus et valde lucrosus extitit, siquidem Wolfgangus Meuer, protribunus militum, generoso et laudabili spiritu ductus aedes illas quas Principum vocamus, vna cum horto adiacente, digno ad imitationem exemplo, mediante donatione, proprias Academiae nostrae esse voluit.

Imo gloriatur gaudetque Alma nostra et praesente hoc anno huius seculi, de munificentia Regia, sed et priuatorum, imprimis Generosissimi de Tettau, liberalitate. Impleat Numen omni tempore beneficos animos desiderio, comparandi sibi pari modo aeternam gratitudinis memoriam.

Recurrit in mentem pax Westphalica, anno quadragesimo octavo superioris seculi, binis instrumentis Osnabrigi et Monasterii vna eademque hora laudabili harmonia absque praerogatiua loci a legatis signatis conclusa, quam illustris autor Iuris facialis totius Europae, panaceam imperii nominat, quaeque sacra illa est anchora cui patriae tranquillitas incumbit. Inter varia monetarum tum temporis fusarum genera, non infimo loco eminet nummus exequias Martis sistens, hac circumscriptione adiecta: *Hic manuors tumulatur, et hic pax alma renata est*: Aduersa pars annorum numerum sequenti chronosticho continet: *Cæsar is et Regum iuxit pax aurea dextræ*. Imperialis itidem extat, representans metropolin Westphaliae Monasterium cum inscriptione: *pax optima rerum*. Eminet inter omnes alius Imperialis, qui se nitore commendat et multum salis refert Guilielmi Ducis Saxonie: sifit hic

arma

arma gentilitia Principis Lauro ornata, supra quae vocabulum: *tandem*, infra, verba: *sat est*: a latere dextro apparet gladius erectus cum lemmate: *tunc*: a sinistro virgula oleagina adiecta particula; *nunc*: protegit vtrumque nomen Iehouae radiis coelestibus fulgens, adiectis verbis: *pax esto*. Ternae manus inuicem complicatae supra gladium denudatum conspicuntur supra quas haec verba: *seruate fidem*; infra haec: *resipiscite gentes*. Cum circa finem mensis Februarii praefentis anni consultissimo Bosio summos in iure honores promeritos ex decreto Ordinis tribuerem, solemni panegyri celebrabam secularia, et cum eodem tempore proceres Europae belligerantes, belli funesti pertaesi de pangenda pace cogitarent, ac congressui inchoando, Aquisgranum, (primam illam Regum curiam; vrbe, quam Carolus Magnus semper in deliciis habuit, in qua Basilicam, quam capellam vocant sanctae saluatoris genitricis, opere mirabili instruxit, coronatione et inauguratione Imperatorum ibidem vi Aureae Bullae peragenda celebrem, et in qua ciuitate ob salubritatem thermarum aliquamdiu vitam transegit, et generali concilio conuocato, diuina et humana iura distribuit,) non sine felici augurio, destinarent, pia vota applaudentibus omnibus nuncupabant, vt in hoc folio totius Regni germaniae, omnium procerum litigantium mentes ad diuina et humana iura aequa lance distribuenda sese componerent; vt salubres iliae aquae, quae sordes non admittunt, omnium aduentantium legatorum, mentes puras Deo sibique inuicem, conciliarent. Eaedem causae mouentes quae in prooemio Instrumenti Pacis Westphalicae allegantur, nempe multa christiani sanguinis effusio, plurimarum vrbium, fortaliitorum, imo prouinciarum desolatio, proh dolor! apparebant, quae mouere poterant belligerantes ad maturanda

consilia

VIII

confilia pacis. Non quidem calamitates belli Germania per triginta annos fuerat experta, attamen tristis tetraque rerum facies ab eo tempore, quo imperator Carolus VI. gloriosissimae memoriae vitam mundanam, cum aeterna commutauerat, non millia sed millena millia hominum cadauera gladio, igne, ruina, misere extincta, oculis nostris obuersabantur. Cum in numero ternario lateat perfectitudo, optabam, ut tria secula nunciarent nobis nostraeque posteritati beatitudinem trium pacificationum, ita ut praesens annus huius seculi decimi octauo, pacem Profanam seculi decimi sexti, et Westphalicam decimi septimi, pace Aquisgranensi perpetuo duratura coronaret et obsignaret.

Non infelix augurium capiebam, ex paritate animorum imperatorum; constat enim ex historiarum monumentis, quod Imperator Ferdinandus III. qui telam pacis a Ferdinando II. inchoatam et exorsam, ad optatum et orbi christiano auspicatum finem perduxit, mitissimus fuerit. Prouocabam ad aequanimitatem et moderationem animi inuidissimi Imperatoris Francisci I. scepta imperii hoc tempore gloriose tenentis, qua se orbi commendat, et tanquam phoenix e cineribus Ferdinandi, cum vterque anno octauo, Ferdinandus seculi superioris, Franciscus huius surrexerit, eundem restituit. Aureum seculum iure postliminii et halcyonios dies spondebam, si imperator Franciscus Deo et imperio id tribueret, ad quod se in actu coronationis per inscriptionem, quae in missilibus legitur, deuinctum reddidit; si Augustissima thori eius Socia, Maria Theresia, iustitiam cum clementia, quibus virtutibus cardinalibus, se constanti animo in nummis publicis mancipauit, misceret. Auertat saltem diuinum Numen, ne in

in tot annos protrahatur pax futura, vti olim Westphalica. Apparebat tunc adhuc in nubibus diuina, quae cuncta sa- pienti consilio gubernat prouidentia, sceptra dextra, at si- nistra clavum tenens; si effunderet pietas nostra in sacrum ignem thura per preces ardentes, credebam obuenturam fore oculis nostris spem cum Mercurio caduceo et cornu copiae flores felicitatis spargentem, quae Saturnum, ima- ginem temporum moneret, vt falcem omnibus exitiosam frangeret, ne Caesari, Imperio, Saxoniae nostrae, quid- quam nocumenti adferre posset. Preces sint arma nostra, templum enim spei, felicitatis et pacis, intrandi non datur licentia, nisi prius in templo pietatis corda sursum erigan- tur. Allegabam elegantem Senecae sententiam: nulla vis maior pietate vera, opprimit ferrum, manibusque iunctis dicit ad pacem pietas regnantes. Consulere patriae, parcere afflictis, fera caede abstinere tempus atque irae dare, orbi quietem, seculo pacem suo, haec summa vir- tus, petitur hac coelum via. Exclamabam: fiat pax do- mine in virtute tua, claude pace rite et bona fide compo- sita in Iani templo ianuam Martis adhuc dum nimium apertam: cedat et veniat dies immensa tuae gratiae et mi- sericordiae: auerte, oramus, ne consiliorum inconstan- tia euanescat iterum affectata transfigendi cupiditas, et ne congressus aptum sit orbis fallendi remedium, ne lateat an- guis in herba; ne vox Iacobi se mutet in manus Esaui: Noli permittere vt gentes vterius in propriis viis ober- rent; compesce mundi furores: da regibus terrae eum animum, vt oderint immensam illam sanguinis profusio- nem, qui versus coelum clamitat: medere vulneribus quae quotidie immedicabiliora apparent, redde saluam Germa- niam morbo lethali decumbentem: Saluum fac populum tuum: Siste bellorum calamitates, impetus populorum,

B

prouin-

prouinciarum interitus: accende luce gratiae et salutaris cognitionis animos eorum quorum causa agitur, ut nihil suscipiant, quam quo fas et gloria ducunt, et ut sequantur exemplum Iustiniani, purasque manus, antequam ad tractatus accedant, ad Deum erigant, euimque ut ipsos complecti dignetur inuocent, et agnoscant, rem esse superioris Numinis et fluentis inde benignitatis, non humanae cogitationis aut incepti, aut potestatis et quod dispensatoforum sit in manu domini non mortalium: Respondeat euentus futurae pacis, verbis initialibus pacis Westphalicae: pax sit christiana, vniuersalis, perpetua, veraque et sincera amicitia inter foederatos, ut hi non solum commodum proprium quaerant, sed et suum cuique tribuant: Iungamus nos foedere Deo, et ipse aderit foederatis. In te Domine fiducia nostra.

Saepe Deus ex machina, pertinet enim ad reseruata diuina, ut repentino et improuiso modo, finem terminumque omnis sollicitudinis ponat. Non deponamus animum, in silentio et spe, etiam praeter spem, erit fortitudo nostra. Claudebam panegyrin his verbis:

*Fac deus aeternos pacem pacisque ministros
Neue suum praesta, deserat autor opus.*

Exaudiuit benignum Numen pia vota et suspiria. Idem mensis Octobris, qui erat praecedente seculo natalis pacis Westphalicae, nunciauit orbi hoc ipso anno noua iubila: pace Aquisgranensi germaniam pacatam cernimus: pax vrbes, pax regna ligat, pax congregat orbem. Pacati gloria mundi, excitat commune gaudium Reipublicae. Doceat modo nos series futurorum annorum fructus nondum omnino maturos, tollatque omnes e medio scopulos.

Sit

Sit hic annus felicis sequelae iis qui meo sub moderamine ad Pandectas a Libro I. vsque ad XXV. disputarunt, sunt illi

- JOHANNES GOTTLLOB BOEHMERVS, Gorlic. Lusat.
- JOHANNES WILHELMVS IVMPELT, Leisnicio-Misn.
- TRAVGOTT FRIDERICVS LANGBEIN, Dresd.
- GOTTFRIDVS AVGVSTVS WIPRECHT, Cranichborn. Thur.
- GOTTHELF FRIDERICVS HILBERT, Annaeb. Misn.
- JOHANNES GODOFREDVS VEITH, Leucopetr.
- JOHANNES AVGVSTVS KAEPPELIUS, Chemnic.
- SAMVEL FRIDERICVS GOTTLLOB POENIKE, Martisb.
- JOHANNES CHRISTOPHORVS HARNISCH, Martisb.
- JOHANNES GOTTLLOB LVNIZ, Stolberg. Cheruscus.
- DEMVTI FRIDERICVS LVTHER, Freiberg-Misn.
- HENRICVS ERNESTVS WÜST, Lipf.
- GOTTLLOB FERDINANDVS SCHNEIDER, Plau. Variscus.
- JOHANNES AVGVSTVS ERNST, Misenensis.
- GOTTFRIED LEONHARDVS HEVBNER, Schwarzenb. Misn.

- GOTTLIEB WILHELMVS MENZELIVS,
Dresd.
- EHRENFRIED CAROLVS AVGVSTVS WER-
NER, Dresd.
- WILHELMVS FERDINANDVS VETTER,
Blanckenb. Saxo.
- IOHANNES CHRISTOPHORVS REISS-
BACH, Helfsta - Mansf.
- IOHANNES GOTTHOLD HOFBAVER, Cro-
tendorf. Hermundurus.
- IOHANNES FRIDERICVS LVDOVICVS
LINCKE, Hoyerswerda - Lusat.
- JOHANNES ANDREAS IOACHIMVS, Lips.
CAROLVS FRIDERICVS WAGNER, Rusdorf.
Schoenb.
- CHRISTOPHORVS GODOFREDVS DÜRR,
Mariaemontan.
- IOHANNES GODOFREDVS GEISLER,
Gorl. Lusat.

quiique omnes exeunte hoc anno respondendo et oppo-
nendo Commilitonibus sua studia probarunt. Dabam
Lipsiae, Dom. post Festum Nativitatis Saluatoris A. Ae. C.
MDCC XLVIII.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIANA.





*tabilibus anni & CVIII
anno Transalponum*



RI BENEVOLO
S. P. D.
ANNES FLORENS
EVINVS
COD. P. P.

